



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis; Illvstrivm
Miracvlorvm Libri II**

Petrus <Cluny, Abt>

Coloniæ, 1611

XXI. De Turquillo priore Maciniacensium sororum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64969)

coqueret inuenit, quem ignis diuinus ad
purum vsque purgauit.

*De Turquillo, priore Marciniacensium
sororum.*

CAPVT XXI.

ALTER etiam frater Turquillus
nomine, vir nihilominus in o-
mni virtutum synceritate & ve-
ritate probatus, ab adolescentia vsque ad
ultimam senectutem iugum monastic
ordinis mansuetissimè portans, ipsa miti-
& humili corporis & vultus sui specie,
quiddam cœleste prætendens, curam so-
rorum Marciniacensium à se sibi iniū-
ctam agebat. Quam cum per aliquantū
temporis religiosissimè administraffet,
carnis ingruente incommodo, ad solue-
dum commune mortis debitum appro-
pinquare cœpit. Cumque illum in cine-
re & cilicio positum, fratres vndique cir-
cunstant, repentè ab eis spiritu raptus
obmutuit. Qua de causa frater quidam
ex his qui astabant Vnfredus nomine
honestæ vit cōuersationis, ausu familia-
ritatis, qua præ ceteris ei semper adhaere-
rat, ad eum se inclinauit, & si aliquid spi-
ritualium rerum vidisset, quæsiuit. Ad
quem ille his verbis. Vidi (ait) Domi-

22455

num, & dulce consortium eius. Hoc cū non vulgaribus, sed ita vt expressi verbis latinis dixisset, paruo interueniente temporis spatio, defunctus est. Et quia de Marcimaco mentionem feci, miraculum quod ibi diuina virtute aliquando contigit, nullo modo tacendum est.

Miraculum quod in eodem Marcinicensi monasterio contigit.

CAPVT XXII.

EST idem locus inter alia sanctimonialium sancta loca, singularē gratiam obtinens, & velut inter fulgentia cœli sydera, quodam suo proprio fulgore præfulgens. Ibi nobiliū mulierum multitudo, & quæ de ipsius regij sanguinis sublimitate descendunt, spernunt diuitias, honores contemnunt, calcant superbiam, luxuriam subigunt, Christi quæ sequentes pauperiem, proprio mundum cum principe vincunt: de quarum numero plurimæ virorum morte destitutæ, secundas iterare nuptias refugerunt, aliæ incolumes maritos deseruerunt, quædam ab omni carnis corruptione immunes, angelicum virginitatis honorem, carnalibus voluptati-